



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

9. Eorum arrogantia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Aliud.

Qui tuus est, *Patiens*, ó tórque quaterque beatum,  
Ægrotare illum non patiere diu.

Aliud.

Pharmaca das ægrotó, æger tibi porrigit aurum,  
Tu morbum curas illius, ille tuum.

Aliud.

Pollicitus nonnulla, nihil mihi Pontice præstas?

Ut Medicus, quamvis nil det, ait, *Recipe*.

Possent hæc ignosci Poëtis, quibus mentiri licet & fingere, nisi Plinius gravissimus autor lib. 29. c. 1. nat. hist. acrius in Medicorum imperitiam inveheretur. In hac, inquit, artium sola evenit, ut cuicumque medicum se professo, statim credatur, cum sit periculum in nullo mendacio majus. Non tamen illud intuemur: adeò blanda est sperandi pro se cuique dulcedo. Nulla præterea lex, quæ puniat inficitiam capitalem, nullum exemplum vindictæ. Discunt periculis nostris & experimenta per mortes agunt: medicóque tantum, hominem occidisse impunitas summa est. Hæc ille. Hadrianus Imp. moriens dixit illud Menandis vulgatum: *Turba Medicorum Casarem perdidit*. Nicocles medicos felices vocabat, quoniam eorum successus sol intuetur, errores autem tellus operit.

IX. (i) Sed ad Æsculapium. Sunt, qui existiment, ideò extinctum fulmine, quòd propter felicitatem medendi supra hominem se extulerit, & tanquam Deo thus sibi adoleri voluerit ab iis, quibus sanitatem reddidisset. Credibile facit hoc commentum arrogantia *Menecratis*, Syracusani medici, cui cum desperatæ aliquot curationes feliciter cessissent, morbo comprimis sacro medebatur hac lege, ut liberari, se ipsius servos faterentur, ipsúmque Jovem appellarent. Feruntque in id tumoris fuisse evectum, ut quandoque ad Agefilaum Spartæ regem hoc scriberet. *Menecrates Iupiter Agefilao salutem*. Rex offensus eo proœmio, præterea nihil dignatus est legere, sed rescripsit in hunc modum. Rex Agefilaus Menecrati *ὕγιαίειν*, id est, *bene valere, seu sanam mentem*. Plutarch. in appotheg. & Cælius c. 38. lib. 6.

X. (k) Denique Æsculapius inter deos relatus est, non Epidauri tantum, sed etiam Romæ, & alibi pro Numine cultus. Neque minus eius magistro *Chironi*, & filiis *Machaoni* ac *Podalirio*, exstructis delubris ac statuis, divini sunt honores habiti. De Podalirio refert Cælius lib. 14. c. 13.

Syrnam

(i) Medicorum arrogantia (k) Medicorum honores.